

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagrata <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Dispensatio

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

ire Capitulum pedester: quâ conditione
 ficiente, etiam conditionatum deficit.
 rbos, in Axiom. Axiom. 48. vbi quod actus
 betur, ac si non esset factus non purificatâ
 additione. Et P. Sigism. dub. 27. n. 10. dicens,
 onditiones de futuro, quamuis etiam taci-
 insint actui, vitiare tamen electionem,
 ia tunc istæ conditiones videntur expri-
 i suspensivè & facere actum conditiona-
 m. Vide P. Polit. in c. 3. Reg. n. 66. & infra
 Electio. n.

DISPENSATIO.

4. Dispensationis Definitio, & requisita.
5. Causa ad Dispensandum necessaria.
6. Dispensandi facultas, & materia.
7. Regula, in dispensando spectanda, Gene-
 ralis.
8. Regula secunda. 139. Regula tertia.
40. Casus quatuor dispensandi Prelatis Re-
 gularibus concessi.
41. Casus reservari Summo Pontifici.
42. Prohibita dispensari circa Regulam Or-
 dinis.
43. Concessa dispensari circa eandem.
44. Quibus ista facultas conveniat.
45. Dispensatio Constitutionum Ordinis.
46. Prelati cum seipsis dispensare possunt.
47. Facultas Confessariorum dispensandi cum
 Consubditis. 148.

148. *Facultas dispensandi eorundem cum secularibus.*

CXXXIV. 134.

*Definitio
Dispensatio
nis &
Requisita.*

Dispensatio propriè, est alicuius iuris aliàs obligantis iusta & rationabilis relaxatio, ab auctoritate ad id habente. Vt enim licita sit ipsa Dispensatio, iustam & rationabilem ad dispensandum requirit causam, quæ si non adsit, dissipatio potius erit, quàm dispensatio. Exigit item auctoritatem Dispensantis, saltè com haberi potest, & non est periculum in mora, quia nullus est iudex in sua causa, sed Superioribus demandata est cura legis interpretandæ. P. Polit. in c. 10. Regul. n. 76.

CXXXV.

Causa dispensandi.

135. Causæ verò ad dispensandum, quamvis variæ sint, iuxta varia genera Dispensationum, regulariter tamen assignantur: Pietas erga Deum; necessitas communis vel priuata, seu corporalis, seu spiritalis; utilitas communis vel priuata; qualitas Personæ cum qua dispensatur; & aliæ quæ pro qualitate loci & temporis, vel ipsius rei, ad quam aliquando minor necessitas vel utilitas sufficit, sæpè autem maior requiritur, arbitrio Prudentis fuerint legitimæ iudicatæ. P. Polit. cit. Lezan. 10. 3. 99.

CXXXVI.

*Facultas
& Marc.
100.*

Reg. V. *Dispensare. n. 2.* Et alij communiter, 136. *Facultas dispensandi, quod ad præsens attinet, est vel penès Prælatos, vel*

Con-

Confessarios, idque in Ordine ad Fratres vel
 æculares. Loquendo de facultate Præla-
 torum ad dispensandum intrâ Ordinem,
 potest esse 1. in legibus latis à Superio-
 ris extra ordinem, nempe à Papa, vel à
 Concilio aliquo Generali. 2. in censuris &
 penis ob transgressionem legis, à Superio-
 ribus latæ contractis. 3. in votis & jura-
 mentis. 4. in Regula Ordinis. 5. in Con-
 titationibus seu statutis eiusdem.

137. Ad primum quod attinet, est Re-**CXXXVII.**
 gula Generalis expressa in jure. *c. Inferior.* *Regula*
21. Et in Clement. Ne Romani. De Elect. lu. *prima*
quoque Civili. l. 1. c. de legib. Quod nul-
 lus inferior dispensare potest in legibus la-
 tis à suo Superiore: Multò ergo minùs di-
 pensare possunt Prælati Regulares in legi-
 bus latis à S. Pontifice, vel à Concilio Ge-
 nerali; nisi in casibus specialiter vel gene-
 raliter concessis ab eo, qui legem tulit, vel
 est legislatori æqualis, aut eo superior.

138. Altera Regula de mente Panorm. **CXXX.**
in c. At si Clerici. de Iudiciis. communiter re-
 cepti, & in hoc à nemine reprobati, teste **VIII.**
Mirand. in Man. Prælat. 10. 2. q. 7. a. 1. & q. *Regula*
16. a. 6. Prælatos Regulares, qui jurisdic-
 tionem habent Episcopalem vel quasi E-
 piscopalem, quales sunt Ministri Generales
 & Provinciales, posse circa sibi subditos,
 ○ **omnia**

omnia ea, in quibus à jure non sunt prohibiti, & quæ Archiepiscopi & Episcopi de jure possunt circa Clericos ipsis subiectos. Quia cum Religiosi eximantur ab ordinaria jurisdictione Episcoporum, necesse est, ut prædicta potestas eorum Prælati concedatur, aliàs non possent perfectè, imò nec commodè gubernari. Et quidem si res pertineat ad salutem animarum, & ad bonum regimen spirituale earum, sine dubio admittenda est illa extensio, quia quoad hanc curam Prælati Religionis habet totum onus Episcopale. Si autem pertineat ad externum regimen Ecclesiasticum, vel solum concedatur specialiter Episcopo propter maiorem rei auctoritatè vel grauitatè, &c. intelligenda est cum sua proportionè, ut nimirum possit Prælati Regularis circa suos, quod Episcopi in sibi subditos, si res vel actus æquè utriusque conueniat.

CXXXIX. 139. Tertiam Regulam addit Soar. 20. 4. de Relig. 17. 8. l. 2. c. 12. n. 20. & Mirand. cit.

Quicquid jure communi prohibetur Episcopis, id etiam Prælati Religionum interdicitum habetur, nisi ex priuilegio aliquo speciali aliud constet. His ita positis.

CXL. 140. Quatuor sunt casus, in quibus Episcopi, atque aded etiam Prælati Regularis, seruata, ut dixi, proportionè, citè

Casus ad dispensandum concessus Regularibus Primus.

es iuris communis, dispensare possunt,
 primus est, quando Ius ipsum, vel eius con-
 ditor expressè concedit talem potestatem,
 vel per clausulam aliquam generalem, vt
 in Trid. *sess. 24. c. 6. de Reform.* aut speciale
 aliquod Priuilegium, qualia quamplurima
 concessa Religionibus extant, præsertim
 Mendicantibus, ratione quorum, multò
 ampliozem habent potestatem dispensandi
 cum suis subditis, quàm habeant Episcopi
 cum suis Clericis aut Laicis, quæ hîc refer-
 re opus non est, cùm totus hic liber aliud
 non agat, quàm vt per singulos propè titu-
 los huiusmodi facultates, seu generaliter,
 seu specialiter, concessas recenscat. Iis et-
 iam prætermisiss, est Casus secundus, *Casus se-
 cundus*
 quando adest consuetudo, vt quidem est in
 communibus Ecclesiæ Præceptis de Ieiunio,
 esu carniùm, officio diuino & simili-
 bus stando etiam in iure communi, & se-
 cundo omni Priuilegio, possint Prælati cum
 suis subditis ea omnia facere, quæ possunt
 Episcopi cum suis. Urban. ab Ascens. *Theol.*
Mor. tr. 2. p. 2. dist. 2. c. 4. Regul. 1. Lezan;
7. Ieiunium. vbi cum Caiet. & Nau. sub-
 iungit, minùs bene, & minùs prudenter
 facere Prælatos, qui subditos recurrentes
 ad illos pro dispensatione, nolunt eos con-
 solari, sed remittunt illos ipsorum consci-
 entii;

entis: nisi causa non videatur sufficiens Prælato pro dispensatione, quo casu potest miscere aliquam commutationem dispensationi, iniungendo scilicet aliquas orationes. Specialia priuilegia circa hæc adducam proprijs tit. *V. Ieiunium, V. Officium diuinum, &c.*

Casus tertius.

Tertius casus est, grauis & magna necessitas, vel vtilitas subito contingens, ita vt facilè & commodè non pateat ad Superiorem aditus; Hanc esse communem praxin & sententiam Theologorum tractantium de Voto, Matrimonio, Censuris, Irregularitatibus, & Legibus, testatur quamplurimis allegatis, Salas. *de legib. disp. 20. q. 3. n. 25.*

Casus quartus.

Quartus casus est, ratione leuitatis & paruitatis materiæ; Itemque frequentia, vt molestum sit in minimis ad Superiorem recurrere.

CXLI.

Casus reseruati S. Pontificis.

141. Casus in Iure singulariter exceptos & Summo Pontifici reseruatos, in quibus Episcopi alijq; Prælati Papâ inferiores præter specialem auctoritatem ipsius, nec agere jure valeant, nec attentare debeant, *c. licet. de Transl. Sylu. V. Casus. q. 1.* numerat quinquaginta, ex quibus, cum plurimi Regulares non afficiant, nobis scitu magis necessarii sunt sequentes.

Primus

Primus est, Quodd solus Papa determinet, atque decidat quæstiones & causas, quæ ad fidem, & Sacramenta spectant.

2. Exemptio Episcoporum à Iurisdictione Archiepiscoporum; & Religiosorum vel Clericorum, qui sunt in aliqua Diocesi, vt non subint Iurisdictioni Diocesani.

3. Iudicialis definitio seu interpretatio Priuilegiorum Papæ.

4. Mutatio vel dimissio Conuentuum, ac locorum, acceptorum per Ordinem Mendicantium. *De Relig. dom. in 6. De hoc vide V. Prouincialis.*

5. Institutio nouæ Religionis, vel assumptio noui Conuentus ab Ordinibus Mendicantium. Vide *V. Monasterium.*

6. Diuisio vnius Episcopatus in duos, aut vno duorum in vnum. Quod Nicol. 3. *relatus in Comp. Priu. Mend. V. Prouincia. extendens, speciali decreto districtè inhiuit, ne in Ordine FF. Minorum fiat diuisio alicuius Prouinciæ, vel nouarum Prouinciarum multiplicatio, absque Romani Pontificis licentia speciali. Attamen ex Priuilegio Greg. 13. quod seruetur in Archivo nostro Romæ, non solùm noua loca, sed etiam nouas Prouincias, absque alia Summi Pontificis licentia possumus nos Capucini recipere. P. Sorbo in d. Comp. V. Edificare.*

O 3

7. Commu-

7. Commutatio aliquorum votorum.
De quibus *V. Votum*. Et Iuramentorum, *V. Iuramentum*.

8. Dispensatio in certis Irregularitatibus, & cum illegitimè natis, quantum ad susceptionem maiorum Ordinum vel beneficiorum curatorum, ac dignitatum. Vide *V. Irregularitas*, *V. Pœna*.

9. Quod quis habeat duo vel plura beneficia cum cura, nisi sint vnita, vel vnum alteri annexum. *c. De multa*. De *Præbend.* Idem extenditur ad Prouincialatus & Guardianatus &c. *Mirand. to. 2. q. 7. a. 12.*

10. Solus Papa potest Personam Ecclesiasticam suo jure priuare. *9. q. 3. per principalem*. Et *c. In Memoriam. dist. 19. c. Quoniam De Excess. Prælat.* Et solus potest concedere præbendam vel Ecclesiam non vacantem. *c. Nulli De Concess. præbend.* Legatus, etiam habens plenam Legationem, hoc non potest in quibuscunque Personatibus per electionem collatis. *c. Deliberatione, De off. leg. in 6.*

11. Solus etiam excommunicatum à se nominatim, potest absoluerè. *c. Venerabilem, De Elect.*

12. Solus absoluit à sententia excommunicationis, suspensionis vel interdicti, reuerentis Papæ per Constitutiones Iuris vel extra-

trava-

cravagantes. De quibus V. Absolutio. V. Casus
reſervatus.

13. Papa ſolus cognoscit in cauſis ap-
pellatione remotâ. 9. q. 3. c. Cuncta. Et ſo-
lus cognoscit de cauſis per appellationem,
vel relatione ad ipſum delatis. De off. leg. li-
cet etiam ad ipſum appellare omiſſis medijs
1. q. 6. c. 2. & ſeq.

14. Ut quis habeat plures dignitates
aut perſonatus, etiam ſi curam non habeant,
aut in eadem Eccleſia. c. De multa. De Præ-
bend. Et de Conſuet. in 6. Vide V. Prælatuſ.

Si qui ſunt alij, vel in corpore iuris, vel
extrâ, qui nos concernant, ſuis afferuntur
& declarantur titulis; prout ſpeciatiim
quoque.

De Dispensatione in Censuris, Pœnis Eccleſi-
aſticis, Votis, & Iuramentis V. Absolutio. V.
Casus reſervatus. V. Irregularitas. V. Iuramen-
tum. V. Pœna Eccleſiaſtica. V. Votum.

142. Circâ Regulam Ordinis (vt ni-
hil dicam de ſummo Pontifice, cui ſpecia-
liter quoque, ac ſoli competit inſtituere no-
vas Religiones, & Religionum Regulas
approbare, & reprobare, & in cœremonia-
libus earum immutare & diſpenſare, Sylu.
Vbi ſupracasu 45. poſt Palud. in 4.) Prælati no-
ſtri Ordinis non poſſunt diſpenſare in tribus
votis eſſentialibus, ſicut nec aliarum Reli-
gionum

CXLII.
Prohibita
diſpenſa-
ti circa
Regulam
Ordinis.

gionum Prælati. Nec item dispensare valent in alijs Regulæ præceptis, nec etiam in illis æquipollentibus vel habentibus vim præcepti, in quibus vel ex tenore litteræ, vel ex fine intento conuinci potest Regulæ intentionem esse, vt nullatenus dispensetur: quale videtur esse 2. illud c. 8. *Quod vniuersi fratres teneantur habere vnum Generalem Ministrum.* Et illud ibidem, quod *Ministri & Custodes, vbi viderint Ministrum Generalem non esse sufficientem teneantur eligere alium.* Et illud c. 6. *si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alij fratres ei seruire teneantur.* Et illud c. 9. *Quod non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo fuerit illis interdictum &c.* propter singularem & manifestam deordinationem, si non seruentur. P. Politus in c. 10. Reg. n. 79. contra Mirand. 10. 2. q. 19. a. 6. cont. 3.

CXLIII. 143. Quando non sic de Regulæ intentione constat, quod indispensabiliter ardeat, poterunt tunc Prælati ex iusta & rationabili causa (quæ, vt supra dictum, semper requiritur) non quidem generaliter, sed in occurrentibus casibus particularibus dispensare. Quæ verò ista sint, in quibus aliquando dispensare liceat, putat P. Polit. vbi supra esse sequentia 1. ex c. 2. Reg. de Nouitiis à solis Ministris recipiendis ad Ordinem,

nem, & habitum Nouitiorum, & Professionem. Item de non habendo plures tunicas; Et quodd fratres induantur vilibus vestimentis; atque non portent calceamenta. Ex c. 3. Quodd Clerici faciant Diuinum officium secundum usum S.R. Ecclesiar: Quodd fratres ieiuent à festo omniū Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini: Quodd non possint equitare. Ex c. 4. Quodd Ministri tantum & Custodes sollicitā curam gerant pro infirmis & fratribus induendis. Ex c. 6. Quodd recurratur ad Ministros pro casibus reseruatis. Ex c. 8. Quodd Prouinciales teneantur ire ad Capitulum Generale. Ex c. 9. Quodd nullus prædicer, nisi à Generali Ministro fuerit examinatus & approbatus. Postremò ex c. 10. Quod recurratur ad Ministros pro spirituali Regulæ obseruantia. In his, ait cic. author, poterunt Prælati Ordinis in casu ex causa iusta dispensare, in cæteris verò non. Quinã verò sint illi Prælati, qui in prædictis dispensare valeãt, subiūgit, Generales posse in omnibus, itē & Prouinciales, exceptis eis, quæ solùm Ministris reseruãtur. Poteruntque tã hi, quàm illi expedire negotia, siue per se, siue per alios, quæ sibi ex Regula cæteroquin explenda committuntur: Custodes & Guardiani poterunt itidem, vbi iusta persuaserit causa, in prædi-

Os

ctis

Etis, his duntaxat exceptis, quæ solis Generalibus & Prouincialibus ex Regula, vel consuetudine referuantur. Hæc ita generatim P. Politius, qui specialius de singulis in propriis locis agit.

CXLIV.

Quibus
ista fa-
cultas cõ-
ueniat?

144. P. Cyprian. in d. c. 10. Reg. lect. 6.
In dictis Regulæ præceptis dispensandi facultatem solis Generalibus competere ait, quandò vel expressè referuantur Generali, quale est illud de Prædicatoribus, quòd non prædicent nisi à Ministro Generali Prædicationis officium sibi concessum sit. Vel si non expressè referuantur, saltem implicite, quale est illud de Custodibus, quòd teneantur conuenire ad Capitulum Generale conuocatum à Generali: In reliquis verò præceptis Regulæ dispensandis quid & quantum possint Prouinciales, ex consuetudine legitime introducta & recepta petendum esse: aliàs, arbitratur Prouinciales dispensare posse ex causa rationabili, in cæteris quibuslibet Regulæ præceptis, quæ sunt merè positia, nec includunt aliquid ad Ius diuinum pertinens, qualia sunt, de recurrendo ad Prouincialem, quando id esset necessarium ad vitandum periculum transgressionis Regulæ: Et de cauendis suspectis consortiis, & alia huiusmodi, quæ includunt aliquam etiam obligationem jure diuino.

Guar-

Guardianis & alijs locorum Superioribus auctoritas dispensandi conceditur, si materia sit leuis, nec obligans ad peccatū mortale. Quia cui committitur Regimen animarum, videntur hæc minora esse concessa, ne oporteat tam inferiores quàm superiores Prælatos molestiâ nimîa affici: vel si materia sit grauis, vtpotè obligans ad mortale, circa quam tamen frequenter occurrat necessitas, quæ dispensationem præsentem exigat: vt in leuijs tam Regulæ, quàm Ecclesiæ, in diuino officio, & si quid aliud est huiusmodi; secùs autem in alijs, præsertim quæ de recurso ad pecuniâ præcipiuntur in Regula. Quando tamen necessitas reuerà magna est, & est periculum in mora, vel impotentia adeundi maiore Prælatum, etiamsi esset Sum. Pontifex, tunc etiam ex rationabili interpretatione voluntatis eius, censetur inferior Prælatum habere potestatem dispensandi, etiam in ijs, quæ sunt Superiori reseruata. P. Cypr. cit. Et supra n. 160.

145. Constitutiones nostræ, quantò minus videntur obligare, tantò periculosior est earum, non solum transgressio, verùm etiam dispensatio, quæ quando sine sufficienti causa fit, nihil differt à transgressione: vt enim nihil dicam, quòd inferiores nequeant

CXLV.
Dispensatio
Constitutionum
Ordinis.

ant dispensare in legibus latis à Superioribus, constitutiones autem factæ sint à tota Religione vel Prouincia, quæ sunt Superiores etiam ipso Generali & Prouinciali: Nihil de his, quæ apertis verbis exprimuntur Apostolicis esse sancita Constitutionibus: Nihil de hoc, quod Regula præcipit, vt fratres obediant suis Ministris (quantò magis communibus totius Ordinis Decretis) in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ & Regulæ nostræ. Ipsæ Constitutiones vel sunt verissimæ, Regulæ, declarationes, vel sic ad eius obseruantiam dispositæ, vt qui Constitutiones transgreditur, in Regulam quoque peccet, vel proximè accedat. Exemplum huius rei sit, quod paulò superius attulimus *V. Discreti*. excludi ab electione passiuâ Discreti, quisquis non potest accedere Capitulum Prouinciale pedestre, talis enim si admittatur, proximum est vt contra Regulam, de non equitando, sine necessitate, faciat: Cùm nulla tunc adsit causa rationabilis seu necessaria, cur isti, qui non nisi equitando, & non illi, qui pedestres & negotia æquè benè expedire poterunt, eligantur. Dum ergo in nostra potestate est, talem necessitatem equitandi tollere, seu causam non rationabilem, ad talem equitandi

eandi necessitatem inducentem vitare, ad
 eam tollendam efficaciter (si commodè
 fieri potest) non tam vi Constitutionum,
 quàm Regulæ adstringimur: Caterùm
 stando in terminis puris Constitutionum,
 Ministro Generali communicata censetur à
 Capitulo Generali tota potestas ad dispen-
 sandum in Constitutionibus, exceptis illis
 casibus, quos Capitulum Generale sibi re-
 seruauit. Similiter & Prouincialibus, præ-
 ter illos, qui vel P. Generali vel toti Capi-
 tulo Generali speciatim reseruati sunt, de
 quibus V. Prouincialis. Ita P. Vecchis in Pra-
 xi Nouit. disp. 13. in fine. ponens inter excep-
 tos Prouincialibus, Impedimentum recipi-
 endi ad Ordinem, si morbo gallico, vel aliâ
 huiusmodi contagiosâ infirmitate laboret,
 in quo, ait, solum P. Generalem dispensa-
 re posse, accedente aliquâ admodùm graui
 & legitimâ causâ: Neutiquam verò Pro-
 uinciales; tum quia sit dispensatio insolt-
 ta & de re valdè graui, tum etiam quia, etsi
 ratione consuetudinis dispensent in alijs
 conditionibus à Constitutionibus requisitis
 quoad Nouitiorum receptionem, in hac
 tamen maximæ considerationis minimè
 dispensent. Atqui cum in isto casu impli-
 cetur etiam jus naturæ de curanda comu-
 nitatis vtilitate & bono, itemque jus com-
 mune

mune Ecclesiæ, quo cauetur, pacto priuatum, juri publico, minimè derogari. *c. si diligenti. de foro comper. Et habet Gl. in c. ad Apostolicam. de Regul. V. Monasterij.* Placet idè sententia Peyr. de *subd. Reg. q. 1. c. 15. §. 3.* Neque ipsum Capitulum Provinciale, uel etiam Generale, in hoc dispensare posse. Neque ualet hîc dicere, quod unicuique licet juri suo renunciare; nam dico, quòd hoc intelligitur de juribus singularibus & personalibus, non autem de ijs, quæ sunt in præiudicium tertij, ut esset in hoc casu, nimirum communitatis. Nau. *l. 3. Conf. 22.*

¶ 33.

*Non facia-
de dispen-
sandum.*

Vniuersim, quàm oporteat Prælatos esse cautos in dispensando, præsertim ne prætextu vel occasione laborû, uel officiorum, aliqua fiat exemptio ab obseruantijs Regularibus in equitatione, in ieiunio, cultu diuino, horisq; canonicis & similibus, siue per priuilegia, siue communis etiam juris aut Doctorum benignas concessiones, docuit memorabili factò Greg. P. 13. Qui, ut refert Urban. ab Ascens. *Theol. Moral. tr. 2. p. 2. dist. 2. c. 4. Reg. 8.* nunquam uoluit dispensare cum insigni viro, qui ter in die conationabatur Romæ cum excellenti populo-tum ædificatione, modò tamen ab officij obligatione maneret exemptus, siquidem respon-

respondit ipsi Pontifex, se malle ipsum vni-
 cã concione populos instruere, se verò pri-
 mum ædificare & implere spiritu deuotio-
 nis per recitationem horarum, vt alijs de-
 inde comunicare posset de sui abundantia
 feruoris & affectûs in precationibus hausti,
 quàm de solius ingenij humani partu cu-
 riosè delectare. Satiùs certè est labores eius-
 modi ommittere, vel ab officijs abesse, quàm
 quantâuis necessitate vel vtilitatè à modo
 Regularis vitæ communis exemptos præ-
 sidendo, alijs remissioris vitæ exempla præ-
 bere.

146. Prælati tam Ecclesiastici non Re-
 ligiosi, quàm Regulares, licet in seiplos vt
 non possunt Iurisdictione suâ, in ijs, in qui-
 bus iure diuino, seu humano, Personarum
 distinctio requiritur, v. g. seipsum bap-
 tizando, confirmando, à peccatis absoluen-
 do, ordinando, aut seipsum eligendo, nõ-
 minando vel instituendo ad beneficia, &c.
 Azor. p. 1. l. 5. c. 15. q. 6. Dispensare tamen
 possunt ipsi secum non solùm per alios, qui-
 bus ipsi suam potestatem ad hoc commit-
 tunt (quâ ratione Romanus etiam Ponti-
 fex Sacerdotem eligit, à quo suorum pec-
 catorû absolutionem ipse recipiat) verùm
 etiam per seiplos; cùm distinctio Persona-
 rum non ita sit de substantia Dispensatio-
 nis,

CXLVI:
 Prælati
 secum di-
 pensare
 possunt.

nis, sicut est de substantia absolutionis. *Sed*
ar. 10. 4. de Relig. tr. 3. l. 2. c. 14. n. 4. fust
Dian. p. 8. tr. 2. Res. 14. & 16.

CXLVII.
Facultas
Confessio-
num erga
Confub-
ditos.

147. Nostri Confessores, *ut iam alias*
dictum V. Absolutio quoad fratres. n. 21. dis-
pensandi facultatem habent erga fratres
confubditos, sicut & absolvendi, quemad-
modum ipsi Prælati Maiores, in ordine ta-
men duntaxat, & ad usum Sacramentorum;
quare in jeunio, cibis vetitis, & præceptis
Ecclesiasticis, &c. ipsi dispensare nequeunt,
cùm hoc de jure communi solum competat
Superioribus, qui cum dicto modo potesta-
tem illis restrinxerint, ultra nihil valent.
Quintad. sing. tr. 7. sing. 22.

CXLVIII.
Erga Sæ-
culares.

148. Actum hucusque est de Dispensa-
tionibus, in ordine ad Religionem propri-
am; Ad Sæculares quod attinet, ea potest
esse, vel in petitione debiti, vel dispensatio-
ne votorum, vel in pœnis & inhabilitati-
bus, Præceptis Ecclesiæ, v. g. Ieiunij, & Ma-
rimonialibus. De quibus, quid possint vni-
versim nostri ad Sæcularium Confessiones
excipiendas admitti, aliqua hinc subiungam,
reliquis ad sua loca remisissis; præsertim
V. Missio.

Igitur quantum ad 1. Possunt omnes
nostri Confessores dispensare, tam cum in-
cæstuosis ad petendum debitum coniugale,
quàm

quàm cum illis, qui illicitè matrimonium contraxerunt cum impedimento voti simplicis castitatis, vt possint petere & reddere, quousque duret matrimonium. Hanc dispensandi facultatem, cum plures negarent, etiamnum in suo Vigore persistere ostendit P. Bassæ, to. 2. V. *Privilegium*, n. 8. multis argumentis & auctoritatibus. Vide V. *Privilegium*, n. 420.

Inter facultates Societati Iesu concessas, pro partibus Septentrionalibus, alijs quoq; Ordinibus per participationem communes, sequentes habentur.

V. *Cibi prohibiti*. Pius 4. 21. Ian. 1563. concessit, vt Superiores Societatis, & de eorum licentia, alij etiam Societ. Confessarij possint dispensare cum pueris Catholicis, famulis, ancillis & coniugibus Patrum familias hereticorum, vt possint vesci carnibus, ovis, & lacticinjs sine scrupulo, quando ij, quibus subsunt, negant cibos quadragesimales.

V. *Ieiunium*. Idem Pontifex hysdem die & anno concessit, vt idem possint dispensare circa ieiunia, cum ijs, qui ad ieiunandum totam Quadragesimã in illis partibus adduci non possunt. Sed id voluit cum prudenti iudicio, & aliquis boni occasione aut proposito, & vt habeatur consensus Ordinarij seu Fratati, vel ipsius Vicarij, saltem semel pro semper.

P

V. *Libri*

V. Libri prohibiti. Idem Pontifex 10. Mart. 1561. concessit, vt possint permittere in Germania superiori, vt sui Pœnitentes vti possint libris prohibitis, qui tamen non sint editi ad stabilienda dogmata hæreticorum, Vt sunt Biblia vulgaria.

Ibidem Greg. 13. 25. Iun. 1573. concessit, vt dispensare possint circa Indicem librorum prohibitorum, & eius Regulas, cum suis & cum externis, ad eos in hoc casu recurrentibus, qui iudicio & pietate pradii detrimentum inde caputuri non sunt, & eâ ratione, rebus Religionis commodare (prodesse) poterant in casu necessitatis ad oppugnandum tantum.

V. Matrimonium. Greg. 13. die 2. Sept. 1580. concessit, vt possint dispensare cum ijs, qui contraxerunt eum impedimento criminis, qui non putant esse illicitum dare fidem de Matrimonio contrahendo post mortem coniugis viuentis altero coniuge; imò putant esse iustissimum, vbi interuenerit copula. Ibidem concessit idem Pont. 17. April. 1581 facultatem Confessarijs Societ. in foro conscientie, dispensandi cum ijs, qui in 4. gradu consanguinitatis vel affinitatis contraxissent, nec possent ullo modo, sine grandi periculo, thoro separari, vt elicitò, ab utroque coniuge, nouo consensu, matrimonium absque alijs solemnitatibus sit validum. Eandem facultatem concessit inter Compares & commatres, qui

qui matrimonium iniuissent spirituali cognatione impeditum, etiamsi vterque coniugum Catholicus sit.

ELECTIO.

149. Electionis definitio expenditur.
150. Eligendi forma triplex, per Inspirationem vel quasi, per Scrutiniū & Compromissum.
151. Compromissariorum obligatio.
152. Requisita Electionis per statuta Ordinis.
153. Electionis apud Capucinos Processus.
154. Ordo questionum circa casus occurrentes in Electionibus.
155. Quinam in singulis nostris Electionibus praesideant?
156. Conditiones eligentium.
157. Exceptio aduersum Electores.
158. De Electorum habilitatione, remissiuè.
Decretum contra subornatores.
159. Secundum statuta Ordinis quinam possint eligere?
160. Eligi debent digniores.
161. Eligere minus dignum quando liceat?
162. Quis dicatur dignior?
163. Dignus reputatur, quisquis non cognoscitur indignus.
164. In electione num liceat vti notitiâ per Confessionem Sacramentalē acquisitā?